

Matthias Stein


**Rector Universitatis Rostochiensis Matthias Stein/ I.U.D. ... Acerbum Maxime Funus Viri ... Dn. Joachimi Lindemanni Phil. Et S. Th. Doct. Laudatissimi Phys. Ac Metaph. Prof. Publ. ... a Moestissima Vidua, Foemina Virtuosissima, Anna Kortholtia, Ad Horam I. Diei XXIX. Dec. Anni Labentis MDCXCVIII. ... Paratum, Indicit, Simultaq[ue] Ad Exequias ... Omnes Omnium Ordinum Ei Dign. Cives Academicos ... Vocat Et Invitat : [P.P. Rostochii Sub Sigillo Acad. d. 29. Dec. 1698.]**

Rostochii: Wepplingius, [1698]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756285453>


Druck Freier  Zugang






Uiac  
orum  
regium.

Vol. 241. (3.) <SON>





RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
MATTHIAS Stein/

J. U. D. ET CODIC. PROF. PUBL.  
ACERBUM MAXIME FUNUS

VIRI PER QUAM REUER. ATq; EXCELLENTISSIMI,

DN. JOACHIMI  
LINDEMANNI.

PHIL. ET S. TH. DOCT. LAUDATISSIMI, PHYS. AC  
METAPH. PROF. PUBL. CELEBERR. SUÆq; FCTIS  
DUM VIVERET, DECANI SPECTAB. UT ET AR-  
CHID. MARIANI LONGE FACUNDISSIMI,

MOESTISSIMA VIDUA, FOEMINA VIRTUOSISSIMA,

ANNA KORTHOLTIA,

AD HORAM I. DIEI XXIX. DEC. ANN. LABENTIS MDC. XCVIII.

PIE AC DECENTISSIME PARATUM,  
INDICIT, SIMULATq;

ADEXEQVIAS BENEVOLENTISSIME FREQVENTANDAS,  
OMNES OMNIUM ORDINUM ET DIGN. & CIVES ACADEMICOS  
SUIS QVOSQVE TITULIS CONSPICUOS,  
PUBLICO HOC PROGRAMMATE,  
QVA FAS EST HUMANIT. AC STUDIO, VOCAT ET  
INVITAT.



ROSTOCHII  
Typis JOH. WERPLING II, Univ. Typog.



Extus jam labitur annus, ex quo venerabilis Professorum Universitatis hujus Ordo non tantum ab inclementia mortis non fuit turbatus (cum alia tamen Collegia hic non unam interea turbationem sentirent) sed eximie etiam Patronorum gratia auctus, dum scilicet inde a luctuoso plane B. SCHOMERI obitu nemo nostrum hic praesens ex hac vita fuit evocatus, sed & omnes ex illo tempore Facultates novis subinde iisque excellentibus membris creverunt. Nunc vero illum heu! ordinem nostrum falce denuo sua mors aggreditur; sed tamen non Seniores quendam, qui uti jure & more, ita & morte junioribus praere solet, excindit, sed ex junioribus aliquem turbato mortalitatis ordine, & illum quidem ex vita cogit emigrare, de quo minime id non modo non cogitabamus futurum, sed quem diutius quoque victurum longeque nos alios vivendo superaturum esse credebamus, atque ut superaret optabamus, quippe qui septimum saltem praeterlapso Septembri Mense Professionis, & trigessimum septimum superiori Aprilis mense vitae annum ingressus erat, viribus sane haecenus integer, corpore satis vegetus, animo hilaris, facie jucundus, pedibusque agilis, Virum puto Reverendum perquam & Excellentissimum Dn. D. JOACHIMUM LINDEMANNUM, officii in rubrica laudatis perquam conspicuum, Collegam, Amicum & Confessionarium nostrum honoratissimum & desideratissimum, de cujus ortu, natalibus, studiis, officiis, vita & obitu, quia telluri omnium matri hodie mandandus est, pro more *breviter* commemorabo, tum ut Viduae & Matris acerbo plane luctu meritarum aliorumque cognatorum lacrymae non nihil sistantur, & mereror leniatur; tum quoque ne fama & memoria Vitae laudabiliter peractae cum corpore VIRI simul sepeliatur; tum denique

que ut nos omnes inexpectato & media in vita morientis obitu  
commonefacti, mortis ex improvise nobis quoque imminenti me-  
minentissimi simus. *Breviter* inquam commemorabo: In hac enim  
commemoratione mensuram programmatis determinatam  
excedere non licebit, neque adulationibus id augere vacabit.  
Si quis vero prolixius vitæ LINDEMANNIANÆ curriculum  
desideraverit, is programma evolvere potest inaugurale, quod  
ante triennium & quod excurrit ex ore B. LINDEMANNI  
nostri consignavit F. C. Theologicæ apud nos Senior Ve-  
nerabilis, & t. t. quando Noster pro licentia consequendi sum-  
mos in Theolog. honores sub ejus directorio disputaret, Deca-  
nus Spectabilis, qui nobis tanquam pie functi Doctoris Pro-  
motor infra erit ex merito laudandus, & ex cujus program-  
mare non nulla ad nostrum scientia scopum petere ab Ma-  
tre Viduaque LINDEMANNIANA rogamur.

Scilicet nascentem nostrum A. 1662. & septimo quidem A-  
prilis die excepit hæc ipsa, quam incolimus, quamque  
Academia toto orbe celebrem fecit, Civitas, Metropolis Mek-  
lenburgica. *Parentem* agnovit Pl. Reverendum & Ampliss.  
Virum, DN JOACHIMUM LINDEMANNUM, pri-  
mo Ecclesiæ hinc ad S. Petri per integros octodecim annos  
Diaconum, deinde Ecclesiæ ad D. Mariæ, cui & p. defunctus  
ministravit, Archidiaconum, per septennium meritissimum &  
inter alia quoque facundiam perquam clarum, qui A. 1669. d. 7. Sept.  
fuit denatus; *Matrem* vero Matronam pietatis Studiosissimam  
& laudè nostrâ superiorem. EVAM Goldsteins / quæ per  
DEI gratiam adhuc superstes, sexagesimum jam nonum  
ætatis annum agit, & acerbissimos dolores, ex præmaturo filii  
hujus unigeniti obitu perferentis, quos ut forti pectore con-  
stanti in Deum amore superet, solatioque fruatur tantò majori,  
quanto majores ejus sunt dolores & quanto acerbiores fune-  
ri hujus filii lacrymas impendit, ex animo vovemus. Et sane



suas sociaret super hoc funere lacrymas, nisi in cœlis lætissimum complecteretur nepotem Paternæ lineæ *Avus*, Vir Consultissimus atq; Excellentissimus DN. THOMAS LINDEMANNUS, ex Civitate Westphalorum Hervordia oriundus (qvæ magnos sanè viros nobis produxit, nempe Cothmannos, Varenios & alios) J. U. D. ejusq; Profess. in hac olim Acad. meritissimus, simulqve Civitatis hujus Syndicus & Com. Palat Cæsareus, uti & Serenissimi Ducis Mekelb. qvondam Regentis DN. ADOLPHI FRIDERICI, gloriosæ reordationis, Consiliarius gravissimus, cujus sanè Viri & simul Patruj gloria ad honorum viam, qvam ingressus est noster, calcar addidisse videtur. Fuit v. patruus Vir Maximè Rev. & Excell. DN. THOMAS LINDEMANNUS, S. Th. D. ejusqve hïc Prof. Publ. celeberr. & deinceps Ecclesiæ Germanicæ apud Haffnienses Pastor, gener QVISTORPIANUS qvondã æstumatissimus. Neqve illas omitteret lacrymas funeri huic impendendas maternæ lineæ *Avus*, nisi pariter cœlestes inter amplexus de erepto è calamitatibus mundi nepote gauderet, Vir Maximè Rev. & Ampliff. DN. M. JOH. Goldstein/alias Chrysolithus dictus, Pastor hïc qvondam Nicolaitanus & Ecclesiarum Rostochiensium Superintend. meritissimus, cujus in Matrimonio successor Aõ. 1636. factus est DN. M. REMBERTUS Sandhagen/ejusdem Eccles. tunc Diaconus, dein verò etiam Pastor & R. Minist. Director vigilantissimus, qvi filias reliquit duas, quarum altera MARGARETHA CATHARINA, primò uxor fuit RIDEMANNIANA, dein SLUTOVIANA, tertio deniq; HELWIGIANA; altera verò ANNA primò fuit BINDRIMIANA, jam v. uxor ELLERHUSIANA, utraq; superstes, Carissimæ Sororis uterinæ, EVÆ GOLDSTEINIO-LINDEMANNIANÆ Filium tam cito ereptum sum mopere deplorant. Et quanta qvæso suspiria à doloribus expressa duceret utraq; Avia, nisi mortalitate essent exemptæ; *Avia* qvidem paterna, Matrona planè insignis ELISABE-

BE-

BETHA HAHNIA, ex patricio Hahniorum stemmate hic  
oriunda, quæ functo priori Marito D. THOMA LINDEMAN;  
NO, deinceps Excellentissimo nupsit practico DN. D. ADOL-  
PHO FRIDERICO AB HAGEN; *Avia* verò materna  
DOROTHEA *Ullwart*; Matrona quondam sui sexus orna-  
mentum, cujus exequias demum Ao. 1676. posterior Maritus  
jam laudatus DN. M. Sandhagen / parabat. Quid  
verò de *Proavis* dicemus, qui nobis Majores p. Defuncti com-  
memorantibus negligendi non erunt, licet omnes dignitate  
avis non fuerint pares? Proavus enim à parte avi paterni HIN-  
RICUS fuit LINDEMAN, Civis & Pistor Hervordiâ  
Westphalus, cujus uxor, quæ nostri proavia, erat ANNA  
KIRCHHOFIA; Proavus alter ex parte aviæ paternæ  
DN BERNHADUS HAHNIUS, cujus uxor erat ELISAB.  
CLINGIA, ex nobilissima Clingiorum familia. Tertius verò  
proavus à parte avi materni memoratur HINRICUS Gold-  
stein / pariter civis Westphalus, cujus uxor EVA Trippen/  
matrona perhibetur honesta & pietatis planè studiosa  
Quartus denique proavus respectu aviæ maternæ erat JA-  
COBUS *Ullwart* / Civis quondam & Cerevisarius hic præ-  
cipuus, cujus conjux fuit CATHARINA *Dunfers* / ma-  
trona quondam virtuosissima, DN. M. ANDREÆ *Dunfers*  
Pastoris hîc Petri germana, & HINRICI *Dunfers* / Ci-  
vis Sternbergâ Megapolitani filia. Tantis vero tamque  
honestis piisque ortum Parentibus, quis non egregiè à suis  
educatum crederet Nostrum? licet enim is puer vix septen-  
nis esset, cum parente suo præcoci fato (quali nunc ipse suis  
eripitur liberis) privaretur; pia tamen mater jam laudata  
ex moribus filii aptiudinem ingenii ad majora perspiciens,  
eò majori ipsi cura de fidelibus subinde Præceptoribus pro-  
spiciebat, quos inter memoratur meritò DN. M. MATTHÆ-  
US LAURENTIUS, ad D. Mariæ hîc olim Diaconus,  
qui tanò majorem studiorum ejus rationem gerebat, quanto  
arctiori affinitatis vinculo per sororem MARIAM ELISA-

A

BE

BETHAM ab eadem domi ductam junctus erat. Illo tamen ex vivis spe citius erepto, cura studiorum ejus ad Scholæ hic oppidanæ Conrectorem, dein vero & Rectorem M. JO. JUSTUM MOHRIUM devolvebatur. Quicquid vero informationi ejus adhuc defuit, id omne ductâ rursus Sorore ejus viduâ jam dictâ, plenâ suffecit manu Vir. Pl. Rev. & Amplissimus DN. M. JOH. MANZELIUS, tunc temporis Græcæ hîc linguæ Professor, deinde & Gymnasii Gustavoviensis Rector; nunc vero Ecclesiæ Neo-Caldensis Pastor & Synodi illius Præpositus, meritis perquam clarus. Jactis ita per hos Præceptores in humanioribus, & Philosophia & Catechesi Christiana fundamentis, ad Academias mittebatur, & primò quidem A. 1679. celeberrimam adire Wittebergam jussus, Hospitem & Doctorem præcipuè nactus est DN. D. DEUTSCHMANNUM, Theologiæ Professore longè celeberrimum, nunc F. Ctis Theol. Seniore, sub cujus auspicio privatim sæpius respondendo & opponendo egregios statim in Theol. progressus fecit. Sed nec alios ibi Professores inclutos nempe D. CALOVIUM, D. MEISNERUM & D. QVENSTEDUM frequenter audire intermisit, multò minus Philosophica neglexit; Sed hospitis sui jam nominati consilio ducem sibi in illis elegit DN. M. GEORGIUM SCHWARZIUM t. t. F. Ctis Phil. Adjunctum, dein S. Th. Doctorem & Præpositum Stargardiensem Pomeranum simulque Gymnasii Professore, quo etiam præfide ante abitum disputationem de *obligatione conscientie* publicitus eodem anno 1679. defendit. In Patriam vero Academiam sequenti Anno 1680. reversus, ad pedes Theologorum nostrorum, B. nempe VARENI, COBABI & SCHOMERI, qui eodem Anno huic Academiæ Professor dabatur, frequenter sedebat & publicis speciminibus industriam hîc suam satis probabat. Siquidem non tantum A. 1681. in publico SCHOMERI Collegio Anti Sociniano bis terque respondit, sæpius  
que

que opponentis spartam ornavit, sed & seq. A. 1683, in ultimo veterani summiqve Theologi B. VARENI Collegio publico disputatorio, super universos Theol. locos incepto, sed obitu Præsidis abrupto, semel de *Proto canonicis & Deutero canonicis S. Scripturæ libris* disputavit. His ita per quadriennium hic in evidens industriæ atqve eruditionis signum laudabiliter ab ipso peractis, impetum cepit vicinam quoq; Academiam Pomeraniæ aliasqve ejus provinciæ urbes invisendi. Ex his autem reversus eodem, quo redibat anno, qui erat 1684, Decano Viro Nobilissimo & Ampliff. DN. CHRISTIANO HILTEBRANDO. Phil. Mag. & Log. Prof. Ducali, nunc FCTis suæ Seniore, Collega nostro honoratissimo ab Ampliff. FCTe Philosophia Magistrii gradu ex merito ornabatur, illoqve insignitus mox alios docere, habitis subinde in Philosophia Collegiis, incipiebat, ita tamen ut habendis quoqve ad populum concionibus non raro vacaret. Si quidem propter singularem, qua pollebat, facundiam, non tantum cum voluptate audiri optabatur, sed & operam ejus Ecclesiæ, præcipuè Nicolaitana, reqvivebat, quæ Pastorem tunc suum DN. M. REMBERTUM SANDHAGENIUM amiserat, de quo supra diximus, quod Avo eius B. M. GOLDSTEINIO in Matrimonio successerit, adeoque vitricus matris LINDEMANNIÆ fuerit. Ita verò Ecclesiasticis & homileticis vacabat, ut nec Academica & polemica cum vulgo negligeret: Si quidem A. 1685. uno in mense Martio non tantum specimine declamatorio de LITERARIARTIUM VENATIONE, sed & disputatorio Philosophico de *Veritate imperante*, quod præsidendo edebat, eloquentiam atq; eruditionem suam Academia denuo commendabat. Cæterum his nondum contentus, eodem An. 1685, Witebergam, cujus favorem nuper singularem expertus erat, revisit. Tunc verò ibi hospitio B. CALOVII & conversatione tum DN. KIRCHMAJERI, Eloqy. Prof. & Acad.

Senio

Seniōris, tum B. WALTERI, tum DN. SCHURTZFLEI-  
SCHII gaudens, quis non in Theologia & Eloqventia & Hi-  
storia ipsum profecisse crederet? Sed nec facultatem docen-  
di in illa Univerſitate tanquam Philoſ. Magiſter negligebat.  
Quem in finem pro impetranda ibi facultate illa ſub præſi-  
dio Dn. Prof. ROHRENSEE pro more illius Acad. Diſputa-  
tionem Phil. quæ *Dodecaden iheſum ſelectarum Moralium* ex-  
hibebat, publicitus reſpondit, quæ Diſputatione præviâ mox  
ipſe Præſes aliam de *fortune ſabro* Diſputationem eodem An.  
1685. defendit. Cum vero hospite tunc ſuo D. CALOVIO,  
ſpe citius priuaretur (ſiquidem is ſub initium ſeq. anni 1686.  
ad meliores tranſibat) redire mox in patriam volebat, ita ta-  
men ut vicinam prius *Lipſienſem* & Theologos ejus Acade-  
miæ ſalutaret. Licet autem huc redierit, non tamen apud  
nos diu ſubſiſtere voluit, ſed voluptate peregrinandi non ſi-  
ne laude tractus, in media illius anni æſtate Hamburgum  
conceſſit & inde navi in conſederatum veniens Belgium  
non modo *Amſelodamum* & *Lugdunum*, Hagamque Co-  
mitis, ſed & Roterodamum atque Trajectum vidit &  
Profefſores ibi Virosq; præcipuos ſalutavit ac audivit. Au-  
tumno verò ingruente reditum ad ſuos meditans, per Comi-  
tatum Bentheimenſem & Episcopatum Monafterienſem Bre-  
menſemq; Ducatum revertebatur Hamburgum & inde Ro-  
ſtochium. Sed neque nunc ſine informatione aliorum nec ſi-  
ne eruditionis ſpecimine ap. nos vivere conſultū ratus, Col-  
legia juventuti Studioſæ aperiendo, & Diſputationem Philoſ.  
de *Præjudiciis Philoſophicis* menſe Aprili Ao. 1687. habendo,  
Patronis ſe iterum iterumque commendabat. Unde mox  
factum, ut An. 1688. à *Nobiliff. & Ampliſſimo* Civitatis hujus *Se-  
natu* ex, inprovifo ad Eccleſiæ hîc Marianæ Archidiaconatum  
tunc vacantem inter alios præſentaretur, & ab Eccleſia ſi-  
mul *maximâ* votorum pluralitate ex merito in locum B. M. LU-  
DOVICI BARCLAI, qui ſuperiori Anno 1670. Parenti e-  
jus

jus B. JOACH. LINDEMANNO in hoc Archidiaconatu successerat, non sine patenti providentiæ div. argumento eligeretur. Ita v. Ecclesiæ Ministerio gaudens, de Socia quoq; tori circumspicere prolixius haut indigebat: siquidem illam mox in ædibus Dn. *Consulis* WOLFRATII jam beati inveniebat, quippe qui Conjugis suæ Sororis ANNÆ KIRCHHOFFÆ Filiam, Virginem tunc florentissimam, nempe ANNAM KORTHOLIAM, ab Avia ejus hinc educatam, consentiente ejus Parente nunc beato, D. CHRISTIANO KORTHOLTIO, S. Th. ap. Kilonienses Profess. primario, & interviene Sacerdotali benedictione in matrimonium ipsi elocavit, quæ quantis jam doloribus dolorumque testibus lacrymis Maritum tam subito ereptum prosequatur, quilibet conjicere potest, præsertim cum ardentissimo se invicem amore fuerint amplexi, & quarta jam vice mater durante hoc conjugio ipsi pepererit, unã quidem filiam, nempe ANNAM ELISABETHAM adhuc per DEI gratiam vitali aurâ vescentem, Patris quondam delictum; tres v. filios, ex quibus duo priores JOACHIMUS CHRISTIANUS & JOACHIMUS HENRICUS, pridem ad meliorem abiire vitam, tertio JOHANNES CASPARO adhuc puerulo superstite, quibus divinam benedictionem & meliora fata post fata Parentis præcoccia precamur. In Officio Pastoralis constitutus, fama singularium in habendis ad populum concionibus donorum exteros mox alliciebat: unde factum, ut triennio post, occasione itineris per Cimbriam ad Dn. Socerum D. Kortholtium, Kiloniensem Theologum, præviâ invitatione ejus suscepti, non tantum Reverendissimus Lubecensis Episcopus Ecclesiasticam in aula Euthinensi functionem offerre ipsi propenderet (cujus tamen propensæ voluntati ne morem gereret Noster, tum Parochiani hinc Mariani, factâ ad ipsum deputatione tam honorifica quam munifica, tum Amplissimus & prudentiss. Urbis hujus Senatus oblatione Professoris Philosophicæ benefica, quam deinceps accedente solenni introductione A 1692. m. Sept. suscepit) præcavebant: sed & amplius WisMariensium Senatus, amplitudine & prudentia conspicuus, Pastoratum ipsi Nicolaitanum unã cum Consistorii Assessoratu conferre intenderet, cui tamen ex dictis jam rationibus annuere non licebat. Cum vero munus hinc tum Academicum tum Ecclesiasticum magna fide ac dexteritate administraret & non tantum variis lectionibus, collegiis & Orationibus politis politicisque Juventuti Studiosæ, sed & disertis & ad ædificationem tendentibus sacris orationibus Ecclesiæ sic prodesse spartamq; ornare utramq; studeret, ecce Veneranda FCtas Theologica officis ejus gradum in Theologia summum, in majus studiorum ejus incitamentum addere voluit, quem Doctoris gradum etiã comoda occasione oblata, legitime satis prævio scilicet examine


rigoroso & præmissâ disputatione inaugurali (quam de *Sanctorum cum*  
*Christo vedivorum resurrectione*, ex Matth. 27. v. 52. & 53. præside De-  
cano Facultatis, Viro Maximè Reverendo atq; Excellentissimo, DN. D.  
ANDR. DANIELE HABICHHORSTIO, S. Theol. Prof. celeberrimo  
& Sereniss. Duc. Meckelsb. Consiliario, uti & Collegii Ducalis a c Facul-  
tatis Theol. Seniore Venerando, Collega & Amico nostro honoratissi-  
mo d. 9. April 1697. habebat mox seq. 18. April. die, Decanatu interim ad  
Maximè Rev. & Excellentissimum Dn. D. JOHANNEM FECHTIUM,  
S. Th. Prof. celeberrimum, Consist. Duc. Assessorum & Districtus Ro-  
stoch. Superint. vigilantissimum, Collegam itidem nostrum & Ami-  
cum honoratissimum, devoluto, eodem quidem Dn. D. FECHTIO Pro-  
motore, sed tamen Procancellario & Serenissimi Cancellarii Vicario le-  
gato, Dn. D. HABICHHORSTIO, nuper Decano suo, in solennissimo  
Promotionis actu (quem tres simul Superiores hic Facultates primo  
sane exemplo, in superiori Rectoratu meo adornabant) cum applausu  
impetrabat. Jamq; spes erat fore, ut intervenientibus aliis adhuc spe-  
ciminibus tam Disputationibus, quam Orationibus Academicis & Ec-  
clesiasticis, (quales & nuper singulari tum facundia tum jucunditate ha-  
buit) gradum Doctoris in majorem Dei gloriam, Ecclesiæ solatium, A-  
cademiæ incrementum suæq; tandem familiæ ornatissimum florem,  
uti cœperat, ulterius esset ornaturus studiorumq; & laborum amplio-  
res longè fructus & præmia percepturus, perq; honorum publico-  
rum augmenta & speciatim per ulteriorem ad Pastorum Marianum  
(quem abitu suo ad ampliorē Ecclesiam Hamburgensem jam ante an-  
num & quod excurrit vacantem reliquit Dn. D. FRANCISCUS WOL-  
FIUS, Socer noster maximè venerandus) promotionem, per instantem  
proximè Amplissimi Senatus præsentationem & subsequendam electi-  
onem, famæ nominiq; Lindemanniano majus omnino decus esset con-  
ciliaturus; sed verò quam fallax hominum spes atq; voluptas! Hæc heu  
spes cum infando svavissimæ Conjugis Matrisq; & liberorum cordo-  
lio concitatissime incubans mors interceptit. Dum enim talia spera-  
mus & Lindemannus noster officii ergo, febri maligna decumbentes,  
ejusq; tanquam animæ curatoris præsentiam desiderantes, invisit, ipse  
mox malignitate febrium sive territus sive infectus ægrotare incipit;  
nec tantum ægerrimè ægrotat, sed ita quoq; ægrotat ut non recon-  
valescat sed heu occumbat. O fatum præ multis sanè aliis luctuosissi-  
mum! Quid amplius dicam? Fateor, hîc hæret calamus & quasi hebet,  
manusq; trepidat. Sed dum calamus ita hæret manusq; trepidat no-  
stra, ecce commodum nobis scriptione sua subvenit VIR. Experientissi-  
mus atq; Excellentissimus, Dn. D. BERNHARDUS BARNSTORFIUS,  
Med.


Med. Prof. celeberrimus, & FCtis suæ Senior ac Poliater meritissimus  
Collega & Amicus noster honoratissimus, qui causam luctus morbi-  
que genus & mortis VIRI præmaturæ historiam ita nobis describit:  
Febris Epidemia, quæ jam per aliquot septimanas, non sine malignitatis no-  
ta, inter Insulas nostræ Civitatis passim grassari cepit, pie Defunctum quoque  
Nostrum, virum scil. Maxime Reverendum & Ampliss. Dominum Joachimum  
Lindemannum, Theol. D. Archidiaconum Marianum, Phys. & Merap. Prof.  
Publ. celeberrimum, Collegam & Affinem nostrum honoratissimum, nunc heu!  
Desideratissimum invase, primum quidem cum frigore & horrore haud admo-  
dum magno, quem calor, cum dolore capitis gravativo, pulsusque frequentiori  
fuit secutus; mox tamen hisce graviora & periculosa sese adjunxerunt  
Symptomata, subitanea scil. Somnioda virium prostratio, vigilia nimia, in-  
quietudines, jactigationes & susurrus, cum audiendi difficultate, vertigo, car-  
dialgia, lingua fauciumque asperitas, siccitas & ardor; quæ omnia, à sponte nari-  
um superveniente hæmorrhagia satis largæ, tantum absuit ut fuerint immi-  
nuia, ut potius exinde majora incrementa sumserim. Et quamvis ego cum Ex-  
cellent. & Experientiss. Domino Detardingio Med. D. & Prof. Publ. celeberrimo  
Collega & Affine meo honoratissimo, ad causam hujus mali, miasma scil. malia-  
gnum, tollendam, & prodiuctum exinde circulantium humorum, turbulentum,  
perversum & irregularem motum atque infuzum compescendum, totumque mor-  
bum hoc modo debellandum, omnem adhibuerimus operam, & tria quoque remedia  
praescripsimus, successum tamen operatum obtinere minime potuimus; septi-  
mo enim decubitus die, mente simul laborare & cum levi furore delirare, præ-  
tereaque sudore frigido quæ diffuere coepit, unde omnibus tandem exhaustis viribus  
circa finem Octavi, inter preces & lacrimas adstantium, placidissime vitam  
suam finivit Sic est! placidissime inter preces adstantium vitam finivit suam. Neque  
tamen adstantes tantum preces promoribundo fuderunt, sed ipse etiam  
tam ante, quam in agone mortis precibus vacavit: quam primum enim  
indicia morbi sensit, dies noctesque precibus se Deo commendavit &  
ad mortem præparavit. Et licet votorum ejus summa fuerit, ante obi-  
tum adhuc sacri coporis & sanguinis Dominici epulo refici; maligni-  
tas tamen morbi, qui magno cum impetu invasit & infirmitas ægro-  
tantis, quæ concitatissime crescebat, heu impedivit quo minus voti red-  
deretur compos. Interim tamen Dominum & Servatorem suum & no-  
stem Jesum, cui fideliter servierat, in corde habebat suo, & meri-  
ta jus, quæ magna semper fiducia prædicaverat, memori mente te-  
nebat, idque vel inde patecebat, quod ubi Collega & Confessiona-  
rius ejus Adm. Rev. & Amplissimus DN. D. BERNHARDUS MUL-  
LERUS, Ecclesiæ Marianæ Diaconus meritissimus (cui Deus ager-  
rimè etiam pariliq; heu morbo nunc decumbenti gratiâ sua adsi-  
stat) pridie obiit, ejus quidem iussu...



sed & mente ipsum laborare visum interrogaret, an novisset quis  
 esset? item an etiam Jesum in corde haberet suo? ad primum re-  
 spondens, dextram ipsi porrexit; ad secundum vero men-  
 tem pariter suam declaraturus, sinistram pulsavit latus eoqve signi-  
 ficavit, se corde Jesum complecti suum. Cumqve sequenti, quo  
 exspiravit, die loquelâ rursus uteretur, denuoqve jam laudatus Dn.  
 Confessionarius ipsum adiret & applicatis ex verbo Dei solamini-  
 bus inter alia de mundi ingratitude termocinaretur, agrotus re-  
 spondit: Ich habe die Welt überwunden mit Gott / & seqq. scripturâ di-  
 cta sibi ipse applicavit: Nach dir Herr verlanger mich mein Gott ich hoffe  
 auff dich. Der Herr ist mein Licht / sprich meine Seele / drum wil ich auff  
 ihn hoffen. Treu ist Gott / und kein böses an Ihm. Die auff den Herrn  
 hoffen werden nicht fallen. Inter alia quoqve fidei plena notanter in  
 hæc erupit. Ich will mit den Engeln das Weihnacht Fest im Himmel hal-  
 ren / tandemqve eximius his clausit suspiriis: Sol ich den auch des To-  
 des Weg / Und finster Strassen reisen / wollen / so tret ich Bahn und Weg /  
 den mir dein Augen weisen / du bist mein Herr / der alles wird zu solchem  
 Ende kehren / das ich einmahl in deinem Saal / Dich ewig möge ehren.  
 In qua devotione usq; ad beatam analysin perseveravit, quodqve no-  
 tandum, eodem 7. Dec. die, quo Parentis ejus ante 29. annos defun-  
 ctus est, agrotare Nolter cœpit, ipsoqve exequiarum Parentis die,  
 nempe 14. Decembris inter 7. & 8. vespertinam beatè exspiravit. Nos  
 vero hos & similes præmaturæ mortis casus fortuito vel frustra eveni-  
 re non credamus aut parvi æstimanda putemus. Exempla sanè per-  
 versa generationi, & robustis fastuosisque sustuntur non iniuper ha-  
 benda, sed animo intumè revolvenda: exempla inquam ad poenitentiam  
 non cras demum sed hodie agendam clarissimè invitantia. Et quid aliud  
 quæso talismodi casus loqvitantur nisi hoc, ut nunquã non cogitare ve-  
 lis, ô homo quisquis etiam fueris, non esse tibi manentem in terris ci-  
 vilitatem, necullo cuiquam die securo esse licere, sed ubivis & semper te  
 à morte expectari, ideoqve inqvirendam tempestivè stabilem illam se-  
 dem, quæ futura est, & in illud ante omnia intendendum tibi, ut ipse mor-  
 tem quovis die & loco antevertas h. e. talem te vel hoc ipso præpares  
 die, qualem te Deus esse desiderat: Superest id, cujus gratia etiam  
 hoc scribendi officium incepimus, ut Vos, Cives honoratissimi, ad  
 paratas beatissimi LINDEMANNI nostri exequias, vestrâ cohonestan-  
 das frequentia excitaremus. Non multis id rogo verbis, ubi sanè quem-  
 que nostrum & benevolentia sua & merita domus LIN-  
 DEMANNIANÆ ad illud invitatur, quod desidera-  
 tur. Valete in Domino!


P.P. Rostochii Sub. Sigillo Acad. d. 29. Dec. 1698.











ges ac Principes sæpè attoniti audivere : Sua-  
minentis vim , non secus ac Demosthenici  
petum imperij Proceres sæpè sensere. De  
non tantum privati, sed & publici partibus,  
inis forma, de religionis purioris vindicijs,  
ibus rectè instituendis, litium prolixis telis  
ad publicam salutem conservandam necessa-  
ovellorum nostri ævi, novas Utopias somni-  
lut alter Sulpitius, studio, usu, experienciâ, &  
sed & archivis actisq; publicis haustâ scientiâ  
planè lepore differebat. Deniq; Encomio Lucij  
storû disertissimû & oratorû jurisperitissimû  
t. Accedebat naturalis cum decenti venustate  
ta gravitas, in divino cultu pietas, in homini-  
s, in negocijs expediendis dexteritas, in adver-  
peris continentia, in fortunæ instabilitate  
quâ bonæ conscientiæ scuto munitâ, omnes  
umniarum, invidiæ & livoris ictus ac morsus  
repulit. Aulicis negocijs gravibusq; causis  
& occupatissimus fuerit, semper tamen  
in respexit, ejus ut quondam alumnus, ita  
as defensor, imò & excultor perpetuus fuit.  
ioz. viro consultissimo Joanne Albino, pandectarum Pro-  
fente, eidem in officio susceptus & in collegium Juridici  
us fuerit; præstitit se quoq; in hac vitæ statione fidum  
siones crebræ, publicæ curæ & molestiæ, eum aulicos &  
iri & Labeonis Jcti exemplo annum quasi cum labori-  
quibus tamen cum sensu nimis irretiri & aulæ astringi  
caria viri consultissimi Christiani Obmichij J. D. exitij,  
demicum sibi creditam, luculenter fœneravit. Virtuti-  
n adversus affectuum motus, & adversitatum impetus  
mavit, seq; invictum reddidit : ast à morbis corporis se-  
otius quò animo fortior, eò semper fait corpore debiliore  
um in itinere quodam officij ratione suscepto, correptus  
ti initio typum tertianæ simplicis gessit, ita non multò  
sentavit, & in ædis inducijs indultis, majori paulò post  
ruans, incrementum sumpsit, in quartanam degenerans,  
Accesserunt lienis & mesaræi obstructions, & quart-  
ples scorbutus, perennis itidem à capite ad fauces & pul-  
alcens indelinens tussis, cujus vehementia, venula pul-  
monum